

# PALAEASTRA LATINA

## S U M M A R I U M

ANDREAS AVENARIUS, (Jové).

COMMERCIO EPISTULARE.

HYMNI S. ANDREAE APOSTOLI QUINQUE, (A. Avenarius).

IN PRIMIS VESPERIS, AD MATUTINUM, AD LAUDES, ITEM AD LAUDES, IN SECUNDIS VESPERIS.

IN ANDREAM APOSTOLUM, (Remundus, Stus. Damasus).

SEQUENTIA STI. ANDREAE APOSTOLI, (Adamus a Sto. Victore),

PROBLEMA GEOMETRICUM, (A. Avenarius).

NARRAGONIA ET CROCODILOPOLIS, (Viator).

PER ORBEM, (J. M. Jiménez).

BIBLIOGRAPHIA, (E. Jové, H. Martija).

REX ALNORUM, (Viator).

EXERCITATIONES SCHOLARES, (Villasante).

## Rex alnorum --- Erlkönig.<sup>(1)</sup>

I

*Quisnam per tenebras equitat tam serus et austrum?  
Est pater una cum filio minimo.  
Amplexu patro puerum prensat retinetque  
Ulnis firmiter ac sollicitus refovet.*

II

*—Fili mi, quare faciem sic anxius abdis?—  
—Alnorum regem nonne tuere, pater?  
Alnorum regem diadema, crine decorum?—  
—Est nebulae solum, mi puer, illa strues.*

III

*«Eja veni mecum, dulcis puer optimel Tecum  
Jucundos ludos ludere jam cupio.  
Multi flores sunt in litore versicolores;  
Vestes auratas, serica mater habet.»*

IV

*—Mi pater, alme pater mi, nonne, quod exhibet, audis,  
Alnorum regis vox tenuis mihi nunc?  
—Tranquillus maneas, fili, requiesce! Susurrat  
Per frondes siccas turbidus austus adhuc.*

V

*«Visne, puelle tener, sociatus me comitari?  
En tibi filiolae prospicient vigiles.  
Filiolae noctu saltant choreas modulatae,  
Cunis impositus mulsus haberis eis.»*

VI

*—Mi pater, alme pater mi, nonne vides procul illic  
Alnorum regis filiolas piceas?  
—Fili mi, fili, discerno lucida cuncta:  
En salicum veteranum pallida forma patet.*

VII

*aCarus es ipse mihi specieque tua trahor; ire  
Sponte tua non vis? Vi subigere mea.  
—Mi pater, alme pater, nunc rex me carpit et urget,  
Alnorum Rex vael me violavit atrox!*

VIII

*Tum pater horret, equum citat et stimulat properatque  
Flet puer in brachiis, dat gemitus ululans.  
Arripit ille casae tandem vix limen anhelus:  
Ast puer in brachiis morte solutus erat.*

(Vertit VIATOR)

(1) Hoc Goethii poëma vidimus stiam latine redditum in Alma Roma mense Aprili hujus vertentis anni et in Scriptore Latino mense Martio anno MCMXI.



# PALAEASTRA LATINA

MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS

---

Premium subnotationis annuae, solutione antelata, est 6 pessetarum in Hispania, 7 in America et Lusitania, 8 in reliquis civitatibus. Premium mittatur oportet ad Administratorem: CERVERA (Lérida) - Universidad - España.

---

## ANDREAS AVENARIUS

Placet hoc numero memoriam celebrare amici quem primum dilexi, quem postea amavi, quem hodie habeo cordi conjunctissimum: *Andream dico Avenarium* qui Germanico nomine *Haberl*, Socius est Verbi Divini (S. V. D.). Mense Februario vertentis anni Sacerdotii quintum et vigesimum annum est ingressus, ac proinde argenteas quas hodie vocant celebrat sacerdotaes nuptias seu primum jubilaeum. Nos igitur cum eo jubilabimus, et quidem propriis ipsius hymnis quos olim composuit ut Sanctum Patronum suum Beatum Apostolum Andream concineret. Me eum dilexisse primum dixi, et quidem inter alios nostrae memoriae scriptores Latinos, eo potissimum candore et verborum simplicitate et perspicuitate quam adspirant ejus Latinae lucubrationes. Amavi autem cum tam liberamente meum litterarum commercium in *Alma Roma* non modo non renuit, sed potius amicissime suscepit. Cordi tandem meo mirifice conjunctus est, praeter cetera, quia incepto nostro PALAESTRAE LATINAE facile opem suam et ferre promisit et indefesse praestitit. Nunc demum non solum operam suam ei navat, sed ad nostram redactionem fratrem in religione suum *Viatorem* traxit, qui hoc anno dramatica actione «Narragonia» lectorum nostrorum faciet delicias.

Faxit Deus ut annos primi Jubilaei Sacerdotalis possit amicus non solum duplicare sed et triplicare et multiplicare in gloriam Dei et salutem animarum.

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

## Commercium epistulare

*Andreas Avenarius S. V. D. Emmanueli Jové C. M. F. fratri salutem.*

Ostendam brevi celeriterque me interim non fuisse pigrum in re Palaestrae. Significaveram enim exspectare me ex dono Steylensi dramaticam actionem, quae referri posset in Palaestrae foliis. *Viator*, veteranus magister, his annis complures fabulas verterat in Latinum, unam tragicomicam, cui «Narragoniae» dedit nomen; primam, cum etiam magna industria exscripsisset, ante octo dies ad me dedit. Cum perlegisset pauca optimum factu arbitrabar typographis hac machina singulos actus dare in singula folia.

Velle misisset primum drama «Vitum» aut «Amantem» nam, nisi me fallit memoria, haec vertit in Latinum. Nunc autem dedit «Narragoniam» a se excogitatam. Perlegite et, si idoneam judicaveritis, edite; si minus remittite. Sed si sumetis, ut cuncta ita inseratis ut ipse Viator proponit, vehementer rogo. Habes de «Narragonia».

Elucet ex cerussa nostrum Patrem Maul *Viatorem* ab se velle vocitari ab omnibus, quem se ipse vocavit saltem ex quo novi, ex anno 1898. Idem Viator nuper ad me dedit exemplum «Regis Alnorum», quem ipse verterat in Latinum, atque eodem verterat tempore, quo in «Alma Roma» alius quispiam idem carmen edidit. Etiam istam elucubrationem tibi transmisi et facio potestatem edendi, si vis.

Per haec omnia, oro, ut simul acceperis, signifiques accepta esse, ne sollicitus sim. Omnia reliqua tuae permitto prudentiae et judicio tuo. Cura diligenter ut valeas, et semper cogita eum bene valere, qui, sicut apiculae ex omnibus floribus mel exsugunt, sic ex omnibus rebus fructum sciat carpere laetitiae. Gaudeamus igitur.

Tirschenreuthi, Kal. Junii.

*Emmanuel Jové C. M. F. Andreae Avenario socio carissimo, s. p. d.*

Sicut recte monuisti de accepta Viatoris actione drammatica et de tuis litteris ceterisque adjunctis rebus placet te confessim certiorem facere, ne amplius sollicitus fueris. Perfundorie Narragoniam legi et mihi sum persuasus actionem fore lectoribus perjucundam et ad Latinitatem familiaris usus commodissimam. Quomodo gratias habeam tibi debitas nescio qui Palaestrae munus adeo pretiosum procurasti, et claro Viatori qui tam facile ad nos edendum remitti voluerit. Sed ad eum directe etiam scribam. Video totum subsequentem studiorum cursum de sectione «Conloquium in schola» fore supersedendum, neque quicquam de ea laborandum. Quid si Narragoniae addidero Andreana carmina tua tuasque lucubrationes quas promittis impigre te esse compositurum? Etiam edemus data opportunitate «Regem alnorum».

Cerussatas epistulas Viatoris cum socio legi quas iterum legemus ne iota unum aut unum apicem ab ejus voluntate divertamus. De typocrusi alias. Claro viro Viatori quinque mittam numerorum exemplaria ubi Narragoniam editam exhibebimus ut tanto ejus beneficio aliquatenus respondeamus. Manifestaria ejusdem tabellaria bene recensita manent.

Fac valeas et cura ut aestivales feriae tibi optimae sint valetudini.

Cervariae dabam VI Idus Junias.

## Hymni S. Andreae Apostoli quinque.

Quo die Amalphi festive agitur Andreae apostoli translatio, sic post sacram mensam precantur liturgi: Tribue, quasumus, Domine, familiae tuae, ut exultationem cordis sui, quam de beati Andree, apostoli tui, veneratione percepit, et secura concelebret et tota semper mente segetetur. Quam exultationem si experiuntur, qui cumque apostolum crucis colunt, mirumne erit aliquem ex eadem veneratione capere fructum, quibus, ut mihi, obtigit Andree ut appellentur nomine? Facile igitur te, qui haec legis, adducam, ut mihi credas affirmanti semper me ex quo haec Latina studia sum ingressus, aucupatum esse, si quid patroni metricularum laudum posssem reperire. Sed praeter sequentiam Adami Victorini et elegantia quaedam Franciscis Remundi S. J. disticha, et brevem de nomine Andree hymnum S. Damasi papae iambicum nihil sum assecutus. Novam postea spem fecerunt carmina Santolii Victorini, hymnographi (1630-1697), quem Bossueto illi nuntiasse videram inchoatos esse hymnos Andreatos. Factum deinde est, ut hymnorum Santolinorum librum ipse nanciscerer omnium, quo in libro anno 1698 edite ne vestigium quidem est hymni Andreani. Tum vero ego, ne rem mihi inprimis jucundam desiderarem diutius, errans per has agrorum et silvarum solitudines mensi Novembri anni 1933 ipse conflavi sex augusto patrono carmina, quorum quinque — nam sextum privati est argumenti — ad Emmanuelem Jové, ut ad amicum, dedi, facta etiam potestate, ut, si videretur aptum, Palaestrae foliis committeret. Nam sic mecum statuebam: fieri posse, ut alii ejusdem Andreatae clientelae viri simili atque ego tenerentur desiderio, quibus me sic putabam facere gratum. In ipsis tamen versibus, si qui frustra quaesierint ignes poetarum, aperte fateor non esse poetam me, sed hic praeter spem condidisse, quod melodias pateretur libri antiphonalis.<sup>(1)</sup> Quod canonicas horis attribui, factum intellige, ut indicaretur, quem ordinem faceret ratio rei et temporis. Est igitur «Ad te nemo venit» prima Andree apud Jesum introductio, quae Joannis primo scribitur. «Quem nocte prima», est quaedam quasi divinatio vel vaticinatio futurae vitae Apostoli, facta ab eo, qui se interesse finxerit, cum ex mari Galilaeo a Domino cum Petro vocatus est Andreas, ut est in Matthaei quarto. «Plausus Angelicus» et «Num quis Andream» numerose referunt, quae de tanti viri tradi solent exitu, quaeque de ea re sunt in breviario Romano. «Decora lux» circumscribit poetice illud Ecclesiae «Dilexit Andream Dominus in odorem suavitatis». Sed jam qualis sit res, cognosce ex ipsis carminibus.

ANDREAS AVENARIUS.

(1) «Ad te nemo venit» hendecasyllabicum carmen, quo metro Santolius usus est in tribus elegantissimis hymnis assumptae in caelum Virginis. Modi canendi extant duo. In libro Descleano, qui inscribitur vel «Liber usualis» vel «Manuale» huius metri est hymnus «O quam glorifica». Alter modus est in appendice hymnorum Santolinorum editorum anno 1698. Quo ex appendice tibi, si jusseris quinque aut sex modos praesentabo metri Alcaicci. «Plausus Angelicus» apertissime mutuabitur notas hymni, qui est complurium martyrum: «Sanctorum meritis», vel huius: «Festivis resonent», qui hymnus canitur kal. Jul. de pretiosissimo Iesu sanguine, vel certe illius «Jam toto subitus vesper eat polo» diei septem dolorum Virginis mense Septembri «Num quis Andream» habet in antiphonalium cantum multiplicem sed suaviorem nullum, quam quo S. Joseph XIV kal. Apr. canitur in laudibus: iste quem laeti colimus «Decora lux» cum audiisti ipsa tibi verba referunt melodiam Petri et Pauli Apostolorum. Sed nanciscemur alteram melodiā, si notas aut quinti aut quarti senarii versus omiserimus huius hymni: «Quodcumque in orbe» qui hymnus canitur in vesperis utriusque S. Petri cathedrae, vel si superposuerimus notas hymni S. Elisabeth reginae Portugalliae, qui est in laudibus et sic est: «Opes decusque regium reliqueras».

## *In Andream Apostolum*

### *In primis vesperis*

*Ad te nemo venit, Christe Redemptor,  
Patris ni sequitur numine tractus:  
Frater te sequitur, respice, Petri—  
Agnum te didicit voce Johannis.*

*Quam prudens sequeris, sancte patronे,  
Jesum qui facilem se tibi praebens  
Tecto te recipit seque superna  
Primo discipulo luce revelat.*

*Jesu colloquio flammeus exis;  
Cui nunc injicias, quos geris ignes?—  
O germane Simon, quanta voluptas!  
Messiam licuit cernere coram.*

*Incensumque tua voce videre  
Christum tu properas tradere Christo  
Fratrem. Sic iterum deliciarum  
Felix ipse bibis fonte reperto.*

*Dum rursus satiat gratia Christi  
Te, fratremque novo nomine signat:  
Nescis, ipse videt munera vitae  
Vobis perque cruces regna parata.*

*Te ductore Petro quam bene fratri,  
Andrea, patuit janua Christi:  
Te monstrante viam quaerere Jesum  
Firmo vestigio nos juvet usque!*

*Patri maxima laus cuncta creanti  
Par laus, Nate, tibi, condere terris  
Patri qui satagis regna. Sit almo  
Regnum Spiritui par animanti. Amen.*



## AD MATUTINUM

*Quem nocte prima consilii Angelum  
Nostri superni, litore inambulat;  
Exivit, Andrea, vocare  
Sortis apostolicae sodales.  
Nunc teque contra constitit et Petrum  
Verbum Dei, quod saecula fuderat;  
Utrumque compellat: Venite  
Prendere vos homines docebo.  
Audisse vocem sufficiet tibi;  
Cum fratre navem, retia deseres,  
Caros relinques, cuncta temnes  
Assiduus comes esse Jesu.  
O ter beatum, quem radiaverit  
SOL luce pura JUSTITIAE prope!  
Speculabis, Andrea, stupendum  
Caeligeni specimen magistri.  
Et tres per annos aure avida bubes,  
Ex ore Verbi quae fluet aureo  
Doctrina vitae sempernae,  
Inque dies sacra flamma crescat.  
Erga magistrum crescat amor tibi  
Tam mansuetum, tam facilem, bonum;  
Verusque cum Jesu sodalis  
Laetaque duraque partieris.*

*Ut primus introducis apostolum,  
Christo Petrum, sic primitias ei  
Idem feres gentilitatis,  
Quod minus ausus erat Philippus.  
Succedet autem — credere mens fugit —  
Iesu perempti funereus dolor;  
Illi diebus spe cadente  
Terror erit lacrimae pudorque.  
Confide! surget fortior inferis.  
Confide! scandet — testis eris — polum,  
Et Spiritus pulso timore  
Ignea vis faciet triumphos.  
Piscator hamum, quam trepidas adhuc,  
Portabis orbi nil trepidans crucem.  
Te reddet olim crux vicissim  
Discipulum similis magistro.  
O quam pusillos haec series tuae  
Vitae futurae nos facit! Et tamen,  
Si tu juvas — est hoc patroni —  
Vivere more tuo placebit.  
Qui te vocavit, gloria sit Patri,  
Qui te vocatum fecit apostolum  
Par Filio sit laus, sit aequa  
Spiritui tibi cuncta danti. Amen.*

### Catalogus Sodalium Societatis Verbi Divini

ineunte anno 1934

Episcopi . . . . .	8	Novicii Clerici . . . . .	363
Praefecti Apostolici . . . . .	2	Fratres laici . . . . .	1.448
Administrator Apostolicus. . . . .	1	Novicii laici . . . . .	373
Rdi. Patres. . . . .	1.234	Aspirantes statum clericorum. .	3.909
Neopresbyteri . . . . .	34	Aspirantes statum fratrum laicorum	356
Fratres Clerici . . . . .	512		

---

Servus Dei P. Arnoldus Janssen Fundator est Operis Missionariorum Steylensis, natus in oppido Goch 5 - XI - 1837, mortuus Steylae 15 - I - 1909.

## Santo Andreae Apostolo

### ITEM AD LAUDES

Plausus Angelicos quod ciet aemulos  
 Primi Christiadae martyrium crucis  
Quem spectare juvat, prodigium viri  
 Graecorum properet Patras.

Hic Christi segetem dum colit impiger  
 Andreas rapitur judicis ad feri  
 Sedes, occiduus ni taceat crucem  
 Saevo supplicio crucis.

Quantas delicias, quamve melodiam,  
 Aegea, memoras discipulo crucis!  
 Hunc, si concilias regna vel omnia  
 Mundi, laeticas minus.

Contemptisque tuis condicionibus  
 Procedit senior, crux ubi eum manet;  
 Nil haec verba sonant, oscula, nec, cruci  
 Quae fert, significant tibi?

Lignum supplicii vivit Apostolo;  
 Non sponsam potuit suavius alloqui  
 Sponsus, quan tenere nunc loquitur suae  
 Andreas crucis arbori.

Cur non, inquit, amem sideribus magis  
 Jesu purpureo sanguine fulgidam  
 Et tacto Domini corpore gemmeam  
 Hanc sponsam veluti trabem?

Cur non, inquit, amem, semita quae fuit  
 Verbo certa Deo se dare servulo,  
 Servo tuta via est ad Domini domos?  
 Salve crux ter amabilis!

His Jesu ducibus laus eat a cruce  
 Nostra magna tibi, qui cruce nos beas  
 Summo magna Patri, Spiritui quoque,  
 Cujus flamine vincimus. Amen.

Post haec erigitur pondere martyris  
 Trabs ornata. Suo jam propior duci  
 Andreas oculis prospicit aethera  
 Celsis. Flet populus patrem.

Heros interea caelituum loca  
 Jam maiore sui parte tenens, gregi  
 Dissuadet lacrimas, assidue quoque  
 Christum de cruce praedicat.

Nubes ecce semel luce vel altera  
 Pendentis faciem turbat Apostoli:  
 Ardens turba senem solvere venerat  
 Invito neque judge.

Blandis ille petit vocibus, hoc suae  
 Damnum ne faciant laetitiae, modo  
 Supplex Christe tibi, reddere jam sinas  
 In ligno tibi spiritum.

Votis prompta fides caelitus additur:  
 Pura luce jubar mergit apostolum;  
 Jesus discipulum tollit in aethera  
 Regni participem sui.

Regni participem crux tua te facit  
 Aeternumque manet gloria te crucis;  
 Aeternumque tibi crux sociat Petrum:  
 Primis gloria crux datur.

Haec nos scire nihil profuerit, neque  
 Obtrectare cruci dedoceat pudor?  
 An tandem placeat scire crucem Petro  
 Andreaque praeambulis?

## Santo Andreae Apostolo

### A D · L A U D E S

Num quis Andream vocitavit amplam  
Gusset ut cenam, quia sic renidet,  
Et, senex quamquam graditur vel acri  
Pube relicta?

Nemo mortalis vocat, at magister  
Quem sibi quondam Galilaea primum  
Stagna miserunt, hodie, sodalem  
Transferet astris.

Ibit Andreas superas in aulas  
Fratre cum Petro. Decet hoc: magister  
Quos sibi primos sociarat, his est  
Crux via caeli.

Crux ea Andream modo praeparata  
Judicis ira velut ara spectat  
Viātimam, fervens ut acerra prunis  
Turis honorem

Nunc is accurrit faciem decorus,  
Flente quae stipat studiis caterva,  
Stipiti caeli sapiens propinqu  
Brachia tendit.

Ceu quis uxori reliquisque caris  
Nunc redux tandem: geminat salutes  
Magnus Andreas: «Bona crux alumno,  
Crux mea salve».

Quam diu quaero! Fugis et petentem!  
Suscitas nescis? fugiens amorem.  
Nulla jam te vis rapiet. Tenebo.  
Es mea vita.

Osculat lignum, necis et ministris  
Membra permittit. Mora nulla. Scandit  
Hic crucem currum velut imperator  
Quando triumphat.

Luce nunc tanta radiante terris  
Gloriam Patri damus atque Nato,  
Flamini Sancto quoque roboranti  
In cruce salvos. Amen.

Artuum pendit nihil dolores,  
Crux ei vernal quia margaritis  
Membra per Christi, roseoque fulget  
Sanguine Christi.

Visus et veri sibi Christianus  
Nominis tandem, cruce quod magistrum  
Redderet, jactat velut igne fusa  
Verba salutis.

At minus plebes patiens theatri  
Funebris patrem validis reposcit  
Vocibus, quin et parat innocentem  
Solvere ligno.

Sentit Andreas; petit a caterva  
Ne suum coepitis iter impedirent,  
Blandiens Jesum rogat et magistrum  
In cruce mortem.

Audit Andream bonus et magister:  
Caelitus fusum jubar omne velat  
Corpus, et sursum redeunte luce  
Hic abit una.

Ore festivo Dominus recepit,  
Et: «Veni dixit» videas in aevum,  
Quas domos felix habitem, quod olim  
Scire volebas.

Sic et Andream solio locavit,  
Ordini celso quod Apostolorum  
Ipse promisit, dedit et sereno  
Lumine mergi.

Nomen aeternum cruce comparavit  
Christus, aeternum cruce Christianus  
Primus Andreas, referens magistrum  
Vel cruce fixus.

*Sto. ANDREAE Apostolo.*

*In secundis Vesperis.*

*Decora lux aeternitatis auream  
Diem beatis irrigavit ignibus,  
Apostolorum quae dedit mitissimo  
Vitam serenam, dat lucem clientulis.*

*Quod es secutus carne velatum Deum,  
Ei fidelis in temptationibus,  
Quod es secutus ad durae necem crucis:  
Nunc ille regnum Patris tecum dividit.*

*Quondam piscator, princeps nunc Ecclesiae  
Ignotus olim, fax nunc orbis fulgida  
Imbellis ante, nunc invictus ignis es:  
Talem te Jesus cogitavit ad mare.*

*Talem te format Verbi conversatio,  
Talem te firmat Virtus ex alto data;  
Te turis instar Verbum delegit Patri,  
Odorem spiras vivus atque mortuus.*

*Tus sunt labores tot pro Christi nomine  
Diffusum longis per salebras cursibus  
Tus illa multa pectoris suspiria:  
Et deflagrasti totus suspensus cruce.*

*Fac nos Andrea suavitate perfriui  
Odoris hujus, fac nos Christo vivere  
Tuis exemplis et pavere fac minus,  
Qua sic excellis cunctis saeculis, crucem.*

*Qui te creavit, laus sit aeterno Patri.  
Qui te vocavit in terris apostolum  
Et te formavit compar sit laus Filio.  
Charismatum non sit minor laus Flamini. Amen.*

## *Sto. Andreae Apostolo*

*Aspice cognato pendentes stipite fratres!*  
*O felix ortu foedus et interitu!*  
*Una parens fuerat vitae parentis utriusque*  
*Alterius vitae crux fuit una parens.*  
*Lac ut idem in partu, sic idem in funere sanguis*  
*Fratribus una fuit vitaque morsque soror.*  
*Fecundum aequoreas jactarunt rete per undas*  
*Arte una, simili munere, amore pari.*  
*Alter at inversa moriens jacet arbore pressus,*  
*Alter in elato stipite rectus obit.*  
*Oppositus capiti pes jungitur, oscula ut alter*  
*Possit in alterius figere cara pede.*  
*Hic capite ille polum pulsat pede cedit olympus*  
*Et tandem victas pandit utrique fores.*  
*Quam bene ballistis quatuntur talibus astra*  
*Sive pedem frangas seu quatiendo caput!*  
*Vivite nunc, gemini proceres, unususque duobus*  
*Et vitae et mortis laude triumphus eat!*

REMUNDUS, S. J.

## *In Andream Apostolum*

### *Hymnus Sti. Damasi Papae.*

*Decus sacrati nominis*  
*Vitamque nomen exprimens;*  
*Hoc te decorum praedicat*  
*Crucis beatae gloria.*

*Andrea, Christi apostole,*  
*Hoc ipso jam vocabulo*  
*Signaris, isto nomine*  
*Decorus idem mystice.*

*Quem crux ad alta provehit,*  
*Crux quem beata diligit*  
*Cui crux amara praeparat*  
*Lucis futurae gaudia.*

*In te crucis mysterium*  
*Fluit gemello stigmate*  
*Dum probra vincis per crucem*  
*Crucisque pandis sanguinem.*

*Jam nos foveto languidos*  
*Curamque nostri suscipe*  
*Quo per crucis victoriam*  
*Caeli petamus patriam. Amen.*

## Sequentia Sti. Andreae Apostoli

*Exultemus et laetemur  
Et Andreae delectemur  
Laudibus Apostoli.*

*Hujus fidem dogma mores  
Et pro Christo tot labores  
Digne decet recoli.*

*Hic ad fidem Petrum duxit  
Cui primum lux illuxit  
Johannis indicio.  
Secus mare Galilaeae  
Petri simul et Andreae  
Sequitur electio.*

*Ambo prius piscatores  
Verbi fiunt assertores  
Et forma iustitiae.  
Rete laxant in capturam  
Vigilemque gerunt curam  
Nascentis Ecclesiae.*

*A fratre dividitur  
Et in partes mittitur  
Andreas Achajae:  
In Andreae retia  
Currit Dei gratia  
Magna pars provinciae*

*Fide, vita, verbo, signis,  
Doctor pius et insignis  
Cor informat populi.  
Ut Aegeas comperit,  
Quid Andreas egerit,  
Irae surgunt stimuli.*

*Mens secura, mens virilis,  
Cui praesens vita vilis,  
Viget patientia  
Blandimentis aut tormentis  
Non enervat robur mentis  
Judicis insania.*

*Crucem videns praeparari  
Suo gestit conformari  
Magistro discipulus.  
Mors pro morte solvitur,  
Et crucis appetitur  
Triumphalis titulus.*

*In cruce vixit biduum  
Victurus in perpetuum,  
Nec vult volente populo  
Deponi de patibulo.  
Hora fere dimidia  
Luce perfusus nimia,  
Cum luce cum laetitia  
Pergit ad lucis atria.*

*O Andrea gloriose,  
Cujus preces pretiosae,  
Cujus mortis luminosae  
Dulcis est memoria.  
Ab hac valle lacrimarum  
Nos ad illud lumen clarum,  
Pie pastor animarum,  
Tua transfer gratia. Amen.*

ADAMUS A STO. VICTORE.

## Problema geometricum

Construe triangulum ex linea extenta in longitudinem duorum laterum  $a+b$ , latere  $c$ , angulo  $\alpha$ .

Tribus partibus ejusmodi absolvuntur proposita: analysi, constructione, demonstratione.


1. Sit igitur, quod ad sinistram delineatum vides triangulum ABC, simile construendo illi triangulo. Datam esse diximus lineam conjunctorum laterum  $a$  et  $b$ , et, quoniam etiam angulus  $\alpha$  notus est et  $c$  latus, facillimum sane erit construere hoc triangulum, quod

est CDA. Quaerendum tantum est illud punctum B, ubi  $a$  latus tangat lineam CD. Neque vero difficile est etiam id invenire. Nam si tantundem spatii est ex punto D ad punctum B, quantum ex A ad B, cum trianguli, quod est ABD, duo latera sint ejusdem longitudinis, duo quoque anguli,  $x$  et  $y$  ejusdem sunt amplitudinis. Et sic comparata sunt, quae viam faciant ad punctum B. Triangulum ABC construi potest.

2. Et haec constructionis est ratio: Posita quae data est linea CD, laterum dumtaxat  $a$  et  $b$ , ad eandem lineam ex punto c admoveo datum angulum  $\alpha$ , cuius alterum latus ex eodem punto duco in longitudinem lineae  $c$ , quae item data erat. Quae ubi desiit ad punctum A, ex eo punto rectam duco lineam ad punctum D. Sic majus illud triangulum effeci, quod est CDA. Reliquum est, ut ad punctum B inveniatur via et sunt viae duae. Aut enim, quem efficiimus angulum  $y$  (vel CDA) ex punto A ad lineam AD applicamus, cuius latus alterum directo productum ubi tangit lineam CD constructum absolvit triangulum ABC, aut, cum ex media linea AD ducta, recta linea lineam CD tetigerit, hoc punctum cum A jingo. Est enim dogma geometricum: in triangulo isoscele linea erecta ex media ima in aequales partes secari oppositum angulum.

3. Recto autem a nobis constructum esse, qui viderit analysin, ultro fatebitur.

ANDREAS AVENARIUS, S. V. D.



## Narragonia et Crocodilopolis (*sequitur*)

I 4. GROBIANUS *cum satellitibus et aulicis*. FALCO *viris, adolescentibus, pueris Salamandriae stipatus*. Tubarum soni audiuntur ex scaena postica. GROBIANUS *cum satellitibus et aulicis prodit in scaenam, postea FALCO cum multis civibus et pueris Salamandriae*.

GROBIANUS. — Perfacile potestis suspicari, equites nobilissimi et milites fortissimi, quam aegre feram, quod Baro sororis meae filius in longinquam terram, id est in Centauriam profiscatur. Quid vero eum impediat quin, quae animo forti sibi proposuit, consequatur? Qua de causa ei, cum me orasset, libens permisi ut ex nostro Utopiae regno tot milites sibi conscriberet quot voluisse. Concedo igitur ut incolae Utopiani, qui buscumque huic expeditioni interesse placuerit, stipendia mereantur. Baroni autem augustissimo regi potestatem feci ut auctoritate publica suffultus per totum Utopiae regnum tympana pulsari juberet milites conducturus.

FALCO. — Gratias permagnas tibi, Grobiane rex generosissime, agimus quod permisisti nobis, ut ulcisceremur virginem illustrissimam Narragoniae surreptam. Condigna est Amaranta quam liberemus ex contumelia et turpitudine captivitatis ac servitutis; imprimis agitur regni nostri honor et gloria.

I 5. BARO, *situs; prodit barba promissa artificiose compta ornatus; dormitans*.

BARO. — Annum peregrimus ut pararemus bellum Crocodilopolitanum. Restat ut exspectem Bufonem peregrinum, neque prius barbam desecari volui quam responsa accepi principum, ad quos ablegaveram hunc famulum.

I 6. BUFO, *veste itineraria indutus; BARO*.

BUFO. — Tandem aliquando mandata diligentissime executus in patriam redii salvus et integer. (1) «Deus eum cui praecipue vult favere, mittit ad terras longinas» (*e sinu extrahit et inspicit calendarium, id est indi-*

*OMNES EQUITES, (vocibus mixtis). Macete, macte, Falco, magister equitum!*

GROBIANUS. — Collaudo animos plenos nobilitatis, equites celcisimi. Unusquisque cum victoria parta, in patriam redierit, pro meritis afficietur praemiis amplissimis. Introeamus autem ut de expeditione instituenda iterum consultemus (*omnes descendunt*).

SALACO. — (*prodit aliquotiens tympanum pulsans; de magna charta reclamat verba recitans*:) Narragonia cum Barone illustrissimo rege Narragoniae duce Amarantam virginem reginam ab Abdalcadero surreptam ulcisci et expeditionem in Centauriam suspicere constituerunt omnes qui hic bello Crocodilopolitanu[m] interesse velint, evocantur et invitantur ut sine mora convenient ad forum olitarium, ubi ante curiam urbis vexillum rubrum erectum conspicitur. Omnibus qui nomen dederint militiae conscripti, ex hoc ipso die in antecessum stipendia sex mensium pendentur (*tympano pulsato abit*).

Sed Morpheus deus somnifer invenire videtur neque jam ocellos apertos tenere possum defatigatione oppressus (*considet humi et obdormiscit*).

cem dierum anni). Velocissime praeterfluxit annus, qui fuisse mihi videtur hora dimidia. Sed ecce herum hic animadverto dormientem. Attatatae! Quam longam alit barbam! Intellego. Usus est toto anno,

ut eam aleret (*suam ipsius barbam vel potius suum mentum attingit*). Neque vero egomet sum barbatus.

Mirum! Alibi barbae non tam celeriter crescent quam hic (*inspicit et perscrutatur Baronis barbam*). —Papae! Laxa pendet. Jure dicitur proverbium: «Barba non facit philosophum» (*Baroni demit barbam et suo mento affigit; tum ad theatrum versus interrogat*) Nonne barbam meam intuiti annum me hinc afuisse censem? (*secedit; interea Baro experrectus mentum prensat*).

**BARO.** —Somnum meum, boni dei, prospero eventu probatur. Mercurium deum volucrem ad me volitare et in aurem dextram susurrare somniavi: «Bufo redit». Quo dicto barbam prolixam meam derasit. En video eum. Salve, mi Bufo! Nihil dubito quin quae tibi mandaveram adduxeris ad finem prosperum: nam dei ipsi te abduxerunt ex Narragonia et reduxerunt in patriam salvum et viribus integrum.

**BUFO.** —Itrever mairtap ni regetni te sulas.

**BARO.** —(*sibi loquitur*) Nescio an oblitus sit sermone patro.

**BUFO.** —Sicnuc sitadnam reticilef situ losba suteal musda.

**BARO.** —Nil comprehendo, quae locutus est perplexe.

**BUFO.** —Satlum oreffo ibit setulas mucinirp.

**BARO.** —Omninone oblitus es semonem patrium Narrogoniae?

**BUEO.** —Sotlum te soirav munoitam senomres ividua.

**BARO.** —«Quousque tandem», Bufo, abutere «patientia nostra» (2)? Sermo Mesopotamius est sono miro; lamentor quod eum minime intellego, neque perscrutari possum quid efficerit. Planene oblitus es, mi Bufo. Narragoniae loquela ut ne comprehendas quidem, quae ex te modo quaesivi?

**BUFO.** —Hujus linguae oblitus sum prorsus; at hoc unum tibi possum nuntiare, omnes quos adii, principes exterarum nationum, laetos promisisse fore, ut magnis copiis stipati quamprimum convenientre ante Crocodilopolim Mammuti, et filio ejus raptor bellum illaturi. (3) «Rex evocavi et omnes, omnes convenerunt».

**BARO.** —Optime, optime, mi Bufo. Sed iter et expeditionem parare festinemus! Nam ceterum censeo Crocodilopolim esse delendam (*abeunt*).

(*Auleum premitur*) VIATOR, S. V. D.

## PER ORBEM

### NECROLOGION

**E. Chatelain.** —Sub finem anni praeterti, senio confectus, decessit Aemilius Chatelain octogenarius. Vir fuerat philologicis investigationibus celebris et humaniorum litterarum cognitione conspicuus. Ab adolescentia poetica carmina latine conscripsit cecinitque, quibus non dedit ingenti numero, vario genere ac perfectione mira: nam alia compendiosa et in discipulorum usum ordinata, alia ampla et scientificis munita praesidiis. Adnotationibus inlustravit veteres scriptores Latinos fere omnes; sed reputatur omnibus operibus praecellens illud cui titulus est *Paleographie des Classiques*

didit ingenti numero, vario genere ac perfectione mira: nam alia compendiosa et in discipulorum usum ordinata, alia ampla et scientificis munita praesidiis. Adnotationibus inlustravit veteres scriptores Latinos fere omnes; sed reputatur omnibus operibus praecellens illud cui titulus est *Paleographie des Classiques*

(1) *Eichendorffus*, «Viator laetus». —(2) Cpr. I. orationem Ciceronis Catilinarium. —(3) Sed. Caroli Heunt illud. (a. 1813)

*Latinis 1884-1900.* Honorifica munia funxit meritis et laboribus respondentia, cum Romae in Conlegio Gallorum, tum Parisiis in Schola Superiorum Studiorum in Universitate Sorbonensi, etc. Ipse praefuit Commentario philologico Revue de Philologie atque Societatem pro Studiis Latinis omnium plausu moderavit, dignusque fuit cui anno jam 1910 amici et admiratores miscellanea dicarent<sup>(1)</sup> Exstat clarissimi Chatelain bibliographia copiosissima et selecta: ante 1924 series operum ab ipso vulgatorum ad numerum 343 perveniebat<sup>(2)</sup>. In memoriam tanti viri Dni. Marouzeau et Ernout notas bibliographicas moerenti animo conscripserunt.

**M. Barone.**—Dies anniversarius recurrat inopinatae mortis et lacrimandae Marii Barone eximii scriptoris, quem subnotatores et lectores ephemeridum litt. Class. Italicarum praesertim apprime norunt. Marius Barone commentarios *Ate-ne e Roma*, *Boll. di Filologia Classica, Cultura, Gymnasium, Mondo Classico*, *Rev. des Études Lat.* notis bibliographicis, disquisitionibus, laboribus praestantibus multotiens exornaverat. Nam Dom. Barone postquam institutioni epheborum vacaverat, quod munus in gymnasii et lyceis exercuit, in litteris Graecis et Latinis potissimum diu noctuque versabatur. Nec inconsulto uti constat ex operibus ab ipso editis, in quibus auctor mortuus adhuc vivit. In comm. *Il Mondo Classico* 1933, pag. 473 ipse Angelus Tacone moderator dolore plenus amici et commilitonis magnificat virtutes ac merita.

**R. Sabbadini.**—Per ephemeridem Bol. di Philol. Classica nuntium ad nos pervenit mortis R. Sabbadini scriptoris illustris ac in Universitate Pisana praceptoris. Ejus fama ita percrebuerat ut difficillimum putem, quempiam inveniri in litteris classicis initiatum, cui nomen Sabbadini, quid novum sonare videatur. R. Sabbanini de omni genere rerum rite sed strictim disseruit, at de Vergilio poëta optime et copiose. Quæstiones quæ de vergilianis versibus agitantur penitus enodavit. Juvat nonnulla tantum vergiliiana opera innuere: *Pomponio Leto e il Codice Mediceo di Vergilio*, 1920; *L'ecloga IV di Virgilio*, 1901; *La Composizione delle Georgiche*, *Riv. Filol.* 29, 16; *Il Primitivo disegno dell'Eneida*, 1889; *Di alcuni plurali poetici di Virgilio*, 1930; *La Biographia di Virgilio antica, medievale umanistica*, 1907, etc.

**M. Tarchi.**—«Alma Roma» in ipso fasciculo in quo Manfredi Tarchi carmen «Non omnis moriar» receperat, in eodem lectoribus nuntiabat ipsius desideratissimi auctori obitum (Cfr. «Alma Roma», mense maji, 1934). Nos quoque acerbo animo permoti tristissimas voces fundimus, sed tamen plane confitemur nunc ipsi M. T. verissima esse verba poëtae: Non omnis moriar multaque pars mei Vitavit Libilitinam...

**P. Ercole.**—Septimo Idus mart. vertentis anni Pietrus Ercole vitae diem egit supremum. Ab anno MDCCCLXXXII in quo laurea ornatus fuerat Mediolani in Universitate, indefessus litteris classicis in docendo et in scribendo se totus tradidit. Ciceronianum opusculum *Bru-*

(1) *Mélanges offerts à M. E. Chatelain par ses élèves et amis*, Paris, Champion 1920.—(2) *Bibliographie de M. E. Chatelain*. Paris, Champion, 1924.

*tus* inscriptum accuratissime adnotavit atque Augustis Taurinorum anno 1881 edidit apud biblopholam Loescher. In commentariis periodicis dissertationes loculentas vulgavit magnique monenti.

**M. Villate, C. M. F.**—Paucis abhinc mensibus inter vivos recensabamus fratrem carissimum Michaëlem Villate, cum de litteris apud Claretianos in PALAESTRA LATINA anno IV p. 123 egimus; nunc vero ad legiōnē eorum pertinet qui doctrinae et virtutum radiis coruscantes gloriose decesserunt.

**J. Loth.**—Commentarius *Emerita* t. II, p. 192 vitam operosam refert Dni. Jose-

phi Loth, qui recens obiit octogesimum septimum agens annum. In studiis celticis maxime claruit. Placet ex operibus aliqua proponere: De verbis Latinis in idiomatibus Britannis. Annotationes in lexicum Cornu-Britannicum Dni. Williams, aliaque.

**J. Gianfranceschi, S. J.**—Reverendus P. Johannes Gianfranceschi pontificiae novorum lynceorum academiae praeses ac vaticanae radiophoniae stationis moderator, diutino acerbissimo gutturis morbo victus, vix sexagenarius, e vita migravit.

R. I. P.

J. M. JIMÉNEZ, C. M. F.

## Bibliographia

**Busquet-García Bayón.**—*Thesaurus Confessarii* seu brevis et accurata summula totius doctrinae moralis.—Editio nona, secunda post codicem. Venalis prostat apud «Colaboración Cultural, S. A.», alias «Coculsa»—Guzmán el Bueno, 18, Madrid; et etiam «Coculsa»—Buenavista, 14, 1.<sup>a</sup> 2.<sup>a</sup>, Barcelona.

Opus in suo genere perfectum, verus utique thesaurus. Doctrinam Sti. Alfon si de Ligori brevi compendio concinno que ordine tradit, permultis superadditis rebus Confessariis omnibus scitu necessariis. Passim et abunde adhibetur novus Codex Juris Canonici neque o-mittuntur Sanctorum Romanarum Congregationum responsa et recentissimae authenticae interpretationes Pontifici Commissionis ad novum codicem authenticę interpretandam. Eadem quam in praecedentibus editionibus est mens in opinionibus seligendis, idemque or-

do, nonnullis passim additis aut in meliorem ordinem digestis, quae omnia 862 pagellas complent. Sequuntur tres appendices *De Bulla Sanctae Cruciaetae*, *De Facultatibus Ordinis Generalis* et *De Facultatibus Decennalibus Amari- cae Latinae*.

Quod autem magis hanc super ceteras editiones longe collocat est externa ejus forma vere elegans atque manualis charta tenuissima at consistens cum vario typorum genere, divisionibus et subdivisionibus discretissimis quae facilem reddunt et lectionem et rerum in memoria retentionem.

Tandem coronatur opus utilissimo indice alphabeticō rerum omnium quae in parvo illo volumine continentur. Omnibus sacerdotibus opusculum perutile cenceo, iis praesertim qui judices conscientiarum constituti curam exercent animarum.

**C. A. Juret.** — *Système de la syntaxe Latine*, deuxième édition entièrement refondue — Paris, Les Belles Letres, 1933, 466 pages, 50 francs.

Alteram jam videmus post paucos annos hujus libri editionem quae operis utilitatem non parum commendat. Certe in ea inveniet vir Latinitatis studiosus multa quae frusta quaeret in aliis operibus de syntaxi Latina tractantibus. Curam habuit auctor praecipuam huic grammatices parti organicam constitutionem praebere, et ostendere quomodo varia syntaxis elementa in unum corpus convenientia quod exprimere possit humani sensus perfectam evolutionem. Hoc satis admodum esse consecutum auctorem nemo ibit inficias qui paginas omnes tam spissi operis patienter et diligenter percurrat. Sane opus illud emet non sine utilitate cui munus edocendi literas Latinas fuerit commissum sicut et illi qui latine sit scripturus.

EMMANUE L JOVÉ, C. M. F.

**Petrone.** — *Le Satyricon*, suivi des Poésies attribuées à Petrone et des Fragments épars. Traduction nouvelle de Maurice Rat. Classiques Garnier, Paris.

Hoc celebre opus, cuius auctor investigationibus criticis impervius mansit (alii enim Petronio Arbitro, Neronis familiari, alii auctori cuidam saec. III opus tribuunt) ad nos integrum non pervenit, ita ut nunc solum varia fragmenta supersint, collecta a Buecheler (Berolini 1862), ex quibus praecipuum repertum est Taugurii in Dalmatia anno 1650, cui annexa est celebris *cena Trimalchionis* in lucem edita a P. Petit (Parisiis anno 1664). Ad formam quod attinet, haec quasi fabula romanensis composita est instar *satyrae Menipeae* Varronianae, et ex carminibus variis metri, ex quibus potiores sunt *Trojae Halosis* et *Bellum Civile*. Petronius ita satyras contexuisse videtur, ut dicta factaque omnia, Graeco

more, ad unam referret personam Encolpii, sua fata enarrantis, res gestas disponens per varias regiones, inter quas peregrinatus ille obierat; insertis etiam quaestionibus litterariis. aliisque ejusmodi, turn narrationibus vel descriptibnibus ridicularum et saepe obscaenarum rerum. Mauritius Rat cum optimis codicibus opus divisit CXLI capitibus. Interpretatio Gallica florenti stilo peracta est, nec textum Latinum dedecet. *Satyricon* sequuntur poëmatia Petronio attributa, dispersa fragmenta, quae ab auctoribus citata reperiuntur, et eximil interpretis adnotationes.

**Virgilio.** — *I principali episodi delle Georgiche*, con note esegetiche ed estetiche di Francesco Vinova. Casa Editrice «Ausonia», Roma, 1932.

Collectio classicorum pro scholis mediis Italicis, cui titulus *Lecta potenter non omnia opera scriptorum latinorum continet*, sed fragmenta selecta ex praecipiuis. Ad hanc collectionem pertinet opusculum Francisci Vivona. Triginta novem constat pagellis, et praecipua episodia Georgicorum complectitur. Hujusmodi episodia sunt: 1) hymnus in Italiam (II, 136-178); 2) laudes vitae campestris (II, 458-540); 3) vita pastorum Lybiae et Scitiae (III, 339-383); 4) pestis animalium descriptio (III, 378-566); 5) Aristaei fabula cum episodio Orphei et Euridicis (IV, 315-558). Desideratur aliiquid ex primo libro, ut prodigia quae mortem Caesaris secuta sunt. Adnotationes alumnorum mentibus accommodantur, ideoque multae quaestiones a commentaristis allatae praetermittuntur.

HENRICUS MARTIJA, C. M. F.

---

**Prot. Emmanuel Jové, C. M. F.**  
**Moderator**

---

**Thygraphia F. Camps Calmet. — Tarregae**

## Exercitationes Scholares

### La Liebre entre nieve.

*A un campo todo nevado  
Una triste liebre viene,  
Y en él ni un solo bocado  
Con que alimentarse tiene.*

*Gime y tiritá de frío,  
No tiene ante ella valor  
La vida, que le da hastío,  
Pues le falta aún calor.*

*¡Ya se marchó la alegría!  
No sabe más que gemir...  
¡Cuándo —dice— vendrá el día  
En que pueda ya morir!...*

*¡Horror! ¡El perro ladra!  
¡El cazador le persigue!...  
Al punto a correr echó...  
—¡Corre, corre que te sigue!*

N. B.—Carmina haec popularia, ex Germanico latine interpretata ab ANDREA HABERL, S. V. D., hispane interpretabatur Aloisius Villasante, Conlegii Aranzazu, alumnus.

(1) Vide num. 31 in operculis.

*... Ya la existencia le gusta.  
Pues burló al perro en su huída:  
El peligro no le asusta,  
Aunque no tiene comida.*

*Dulce el vivir le parece,  
La victoria le reanima,  
Y si bien de hambre perece  
Vencer al perro le anima*

*Parejas corre la suerte  
De este animal y del hombre;  
Quiere, azaroso, la muerte;  
Feliz, huye hasta su nombre.*

*Hoy viene la malandanza,  
Ya pasará... no os asuste;  
Vendrá luego la bonanza,  
Y ésta será la que os guste.*

### Beati Ant. M. Claret Hymnus

Quattuor vocibus inaequalibus, organo comitante, concinendus. Carmen Latinum ab H. Martija compositum. — Hispanticum fecit et Catalaunicum R. Illa. — Musica a P. Thoma L. Pujadas.

2 ptas.

Apud Administratorem  
Palaestrae Latinae

# SANATORIUM

Nostin' novos medicationis naturalis productus...?

Formulae sunt Rdi. Dris. J. García Roca.

Contra Artritismum:

**Sanatorium Depurativum.**

Contra affectiones gastricas:

**Sanatorium Eupepticum.**

Contra restrictionem ejusque causas:

**Sanatorium Purgans.**

Contra phthisim in omnibus morbi periodis:

**Sanatorium Regenerativum.**

Contra anemiam, clorosim et organicas feminarum

perturbationes: **Sanatorium Pilulae Ferrugineae.**



MARCA REGISTRADA

Veneunt in pharmacopolis et specificorum sedibus.

## Cerae liturgicae auctoratae

justa decretum

Sacrae Rituum Congregationis



# FILII J. SILVESTRE

ALBAIDA (Valencia) (España)